etiam quia eo modo catholici omnes Angli subtrahent se a Regina, et ad hostes eius transibunt. Sed reprimam me. iterum vale in Chro.

T. d.nis studiosissimus observator

Nicolaus Sanderus. p.

in hac ipsa hora venit ex Anglia vir bonus, qui narrat Reginam septingentis Catholicis nerem intulisse. Scotiam omnem in armis esse, ac suam Reginam Mariam (occiso Jacobo qui eam vi arcebat) repetere. Comites utrosque ac ceteros nobiles in Scotia manere incolumes. Imo nobilissimum Baronem ac potentissimum qui appellatur Leonardus Dacrius relicta patria sua nuper ad afflictos Comites confugisse. Tota res literis mandari non potest. Hic idem Leonardus vir est tam Catholicus, ut palam Reginae dixerit se haereditatem suam quae longe maxima est, non aditurum, si vel minimam Catholicae fidei partem negare ob eam causam cogatur. Navis etiam ex gallia nuper in Scotiam dicitur appulisse tormentis bellicis instructa, quae res valde molestam habet Reginam nostram. Denique Catholici omnes hac Reginae crudelitate maiorem in modum offensi, nihil nisi occasionem belli expectant. Non putet S. Sanctitas tumultus iam esse in Anglia finitos: cum vix dum inchoati sint. Deum precamur, ut opem suam Catholicis humillime eam undique implorantibus non neget. Satis deliberatum fuit, iam mature facto est opus.